



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

25. Dies Aprilis. Quæris, quid sit, nobis oblivionem acceptorum facit?
cupiditas accipiendorum. Senec. de benef.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

tibus frangitur. Profectò si non das egenti, cum pol-
 cit, non accipies à Deo, cum poposceris. Jacet præ-
 foribus tuis, Lazarus aliquis, laceris indutus panni-
 culis, vultu pallidus, omnibus membris tremulus, &
 tu de foco calefactus, de ingestis cibis tunc tumefac-
 ctus, vino rubicundus præteris, & non aspicias, imò
 supplicantem audis & despicias. Quo non dig-
 nus es supplicio, qui sic contemnis supplicantem.
 Audi iterum Chrylostomum, non tam è pulpito di-
 centem, quàm è machina tonantem. (a) *Is, qui est*
ad imaginem Dei creatus, tuâ inhumanitate sordescit,
& squallet: malorum verò facies, qui conjugem ve-
ri sunt tuam, auro non modico fulget. Pelles insuper, &
ligna, quibus tegumentum aliquod contexitur, vel si se-
des paranda sit, aut suppedaneum auro, argentoque o-
peritur: at Christi membrum, cujus ob gratiam è cælis
descendit, & sanguinem sedit, necessarius alimentis, ve-
stimentis destituitur. Hic lubet cum Vate excla-
 mare:

Tunc cultor Christi spernes in paupere Christum.

25. DIËS APRILIS.

Quæris, quid sit, quod nobis oblivionem
 acceptorum facit? cupiditas accipien-
 dorum. *Senec. de benef.*

Ingratitu- I.
 do erga ho-
 mines.

Ingratus esse ipsi Gratia, nisi execra-
 tione omni dignissimam ostende-
 rem Ingratitudinem: cum eam o-
 mnium mortalium sermo accuset,
 & con-

(a) *suprà*

• & conspirantibus suffragiis, omnes condemnent. Sicuti contra, Gratitude[m], nulla barbaries gentium, nulla morum immanitas non laudabit. Tamen non est vitium aliquod, quod à tam multis verbo damnatum, tam multi rebus ipsis amplectantur, ac teneant. Quanquam è duobus eligendum potius ingratum

• ferre, quàm ingratum fieri. Omnis porrò Ingratitudinis triplex est causa: Invidia scilicet: quæ dum impensa aliis beneficia, suas ducit injurias, in se collata non aspicit. Hinc istæ querelæ: hoc mihi præstitit, sed illi maturius, sed illi libentius. Altera causa, est superbia; quæ vel se majoribus beneficiis dignam cæset, vel præferri sibi aliquem indignatur. Nam se omnia meruisse existimat; nec satis tuo pretio se æstimatum putat. Hoc mihi dedit, ait; sed quàm serò, sed post quot labores? quanto consequi plura potuisssem, si illum, aut illum, aut me colere maluisssem. Non hoc speraveram. In turbam coniectus sum, quasi unus è multis judicatus sum. Tam exiguo me dignum judicavit; Honestius præteriri fuit.

II. Tertia causa, est Cupiditas: Hæc vix ullum patitur esse gratum, semper magno hiatu novis beneficiis imminet. Hæc muneribus non lenitur, sed accenditur: & dum acceptis inhiat, non meminit acceptorum. Nunquam improbæ spei; quod datur, satis est. Eò majora, & plura expetimus; quò plura admisimus; multoque concitator, & inflammator est cupiditas, in magnarum opum congestu collocata. Nemo agit de senatorio gradu gratias; sed queritur, quod non sit ad Consulatum usque evectus. Nec illum nactus, interpretatur gratiam, sed quia Prætura deest, judicat injuriam. Nulla ei dignitas placet, nisi in ea non tan-

tum sit primus, sed solus. Ultra se ambitio explicat, & foelicitatem suam, quasi pertæsus, non quid acceperit, attendit, sed quid accipere potuisset. Quid ergò mirū, si pauci sint grati post acceptas gratias, ubi nemo satis accipit? Quis igitur est istorū, qui huiusmodi, vel Invidia, vel superbiæ, vel Avaritiæ laborant tā firmæ volūtatibus, ac solidæ, ubi tuto apud eos beneficia deponas?

III. Alii ex aliis vitiis sunt ingrati: aliquos à reddendis gratiis avocat labor, quia illis molestum, alios impensa, quia sumptuosum, alios turpis verecundia, quia probrosum fateri se accepisse: alios ignorantia officii, qui nesciant, quæ sint obsequia humanitatis, ex ingenita inurbanitate, alios pigritia, quia non lubet cum tanta difficultate, alios occupatio, quia non vacat istis officiis vacare. Sed nullus inter omnes est ingrator eo; cui totum beneficium memoria excidit, & altā oblivione sepultum est. Nescias tamen, quis in hoc vitio sit potior: an ille, apud quem intercidit beneficii gratia? an, apud quem etiam memoria? Quis tam ingratus est, quàm qui, quod in prima parte animi positum esse debuit, & ut semper occurreret, altā mente repostum ita seposuit, & abiecit, ut in ignorantiam verteretur? In confesso est, illum non sapere de reddendo cogitasse, cui reddendi obrepit oblivio. Tamen si ea tantūm oblivio sugillanda est, quæ liberè contrahitur, cum possit facilè excuti. Vitium hoc, potissimum tumentibus animis est frequens; qui cum plumbeas iras gerent, ut est apud Comicum, leviores tamen pluma gratias habent. Habes hîc summam ingratitudinis virulentiam, suis coloribus expressam; quam velis, remisque fugere, par est omnes; qui volunt apud homines, probrum, & ignominiam effugere,

Aprilis.

Tessera.

315

gere. Itaque maneat altâ mente sepultum hoc me-
trum, ne Ingratitudinis incurras probrum :

Lex & natura, & calum, Deus, omnia jura

Damnant ingratum, in fausto quasi sidere natum.

26. DIES APRILIS.

Gratiarum cessat discursus, ubi recur-
sus non fuerit. *Sanctus Bernardus serm. 1.*
in capite Ieiunii.

Ingrati- I.
tudo er-
ga Deum.

Ingratitudo in homines est vitium ma-
gnum, & intolerabile : in hominum
Conditorem, est maximum, & incom-
parabile. Quis non stupeat, vel potiùs
non horreat? Hominum aliàs pessimorum, per exigua
beneficia, nos movet ad benevolentiam, & obsequio-
rum promptitudinem : & interim immensa Naturæ
munificentissimæ beneficentia, ut grati simus, nos non
tantum non monet, sed nec docet. Quid hoc mon-
stri? si homo nobis, vel oculum dedisset, imò vel datū
vitio aliquo curasset; pro beneficio tantillo, totum, ut
grati essemus, impenderemus & corpus, & animum:
Deus totum hominem fecit, imò refecit, nec æstima-
mus eum beneficum. An naturâ perdit aqua, quod in
mari sit, non in exiguo poculo? An donum aliquod
amitteret naturam beneficii, quia Deus est auctor, cujus
natura est benefacere? Purior est aqua in fonte, quàm
in cloaca; sic & puriora sunt beneficia Dei, quàm ho-
minum, qui plerumq; corrumpunt naturâ beneficii.
Cur igitur mœra amittent privilegium, & reveren-
tiam suam, quod fiant à Deo : quæ si facta fuissent à
vili aliquo homine multò minora; nisi grati essemus,
non auderemus securâ fronte, esse corâ hominibus,
sed